

iudiciis, populorumque conciliis, affirmante; Socrates hoc arripit, ut haud magni esse rhetoricam pretii evincat. Persuaderi aliquid nobis duobus maxime modis potest: altero, ut scientiam simul eius adipiscamur, prodeatque e scientia persuasio; altero, ut absque scientia fidem persuadenti habeamus. Horum primum eorum modo est, qui rem, de qua loquuntur, probe callent: cumque orator adhibendam medicinam, portus construendos, castrum erigenda, aliaque hominibus persuadeat, licet medicus, architectus, rei militaris peritus non sit, dicatque de rebus, in quibus quolibet artis perito sese fatetur inferiorem; persuasionem eum efficere eam, quae est absque scientia, sequitur: cum porro de eo, quod iustum est ac iniustum, saepissime sit oratori dicendum; de his quoque eum loqui absque scientia, fidemque extorquere hominibus, non recte doctis, errori obnoxiam, est concedendum. Hoc autem ipsum, subiicit Gorgias, ad declarandum, quanta sit in oratore vis, quantaque in eius arte praestantia, egregie valet: persuadere enim hominibus, quae ipse nescias, et in quibus te artis perito fatearis inferiorem, praeclara res est ac divina. Ea tamen huius artis est natura, ut liceat ea ad turpia, iniusta, noxia abuti, in eoque similis est gymnasticae, armorumque tractandorum arti, quae, licet in hostes sint comparatae, verti tamen et contra ciues, et quos laedere nefas est, possunt. Sed nemo ea propterea abutetur; quique sunt veri nominis oratores, ad civium civitatisque perniciem, suam non adhibebunt facultatem. Haec Gorgias; simulque animadvertens, quorsum tenderet Socrates, et abrumpere disputationem studens, a reliquis ad continuandum sermonem renitens inducitur. Concludit igitur rationem Socrates sic: orator arte sua utitur ad populum, id est, ignorantes; orator, quorum nul-